



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Militia Immaculatae Conceptionis Virginis Mariae, Contra Malitiam Originalis Infectionis Peccati

Alva y Astorga, Pedro de

Lovanij, 1663

Protestatio Auctoris Juxta Decretum Sacrae Congregationis Sanctae
Romanae & universalis Inquisitionis, anno 1625. edito, & anno 1631.
declarato, ac tandem anno 1634. confirmato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13965

PROTESTATIO AUCTORIS

JUXTA DECRETUM SACRÆ
Congregationis Sanctæ Romanæ & universalis
Inquisitionis, anno 1625. edito, & anno 1631.
declarato, ac tandem anno 1634. confirmato.

*C*um omnia ac singula quæ continentur in ista Militia Immacu-
lata Conceptionis fuerint extracta & ad litteram transcripta ex
Auctoribus tam antiquis quam modernis, in supra positis Indicibus
relatis, quos ut in plurimum optima nota ac fide dignos existimamus:
tamen hujusmodi relationibus circa Miracula, Revelationes, Gra-
tias, Indulgentias, Officia Ecclesiastica, Orationes atq; Deprecatio-
nes, &c. nullam aliam auctoritatem tribuere volumus, præter illam
quæ ab ipsis Scriptoribus, aut alijs humanis Historijs tribui debet &
solet. Et quamvis nonnulla Miracula & Revelationes sumpserimus ex
Officijs, aut alijs scriptis à Sede Apostolica approbatis; nullatenus eo-
rum certitudinem ad ulteriorem gradum promovere studemus, quam
illum, in quo ipsius Sanctæ Sedis approbatione fuerunt collocata. Reli-
quis vero privatorum monumentis eam tantum fidem habemus, &
haberi velle protestamur, quæ merè humanis testimonijs æquum sit de-
ferri: ita ut per hoc nostrum scriptum via ad novum cultum non ape-
riatur, nec ad canonizationem, beatificationem, miraculi comproba-
tionem, martyrij vel sanctitatis opinionem, aut famam alicui concili-
andam gradus fiat; sed omnia ad religionem, venerationemq; spec-
tantia in eodem statu & terminis maneant, ac si hoc nostrum scriptum
non prodixisset. Ita sanctè juxta prædictas Apostolicas Constitutiones
testamur & profitemur, omnia Sedis Apostolicæ judicio & correc-
tioni summo affectu, & animi demissione subyicientes.

Frater Petrus de Alva & Astorga,
Ordinis Minorum.